

cium futuri boni non tollit spem : ergo nec certitudo mali futuri timorem. Respondetur nunc solum loqui nos de timore sensibili, considerata rei natura non supernaturali virtute, vel cognitione. Beati ergo dicuntur habere timorem quemdam reverentiæ, et filiorum, qui ad voluntatem spectat, et consistit in hoc quod beati divinam voluntatem intuentes effugiunt omne malum quod cum Dei voluntate reputat, et hac ratione volunt omne illud vitare, etiamsi alias possent illud velle et efficere, et huc etiam forte spectat admiratio quædam de divina majestate. Similiter Christus voluntate, ut natura, fugiebat mortem, qui actus, ut dixi, generali ratione potest dici timor, malum etiam illud, quod Christus passurus erat per se vitari poterat, et ut sic potuit excitare timorem : in appetitu vero sensitivo facilius pati potuit timorem, quia per sensum apprehendere potuit malum, ut formidabile : vide quæ dixi apud D. Thomam, 3 part., quæst. 45, art. 7. Ad ultimam confirmationem dicitur spem esse motum, quo prosequitur bonum, et ideo certitudo boni futuri non solum non impedit, sed firmat illam, timor vero est fuga mali, et ideo si hæc fuga apprehendatur, ut impossibilis, quasi obruitur timor. Secunda difficultas hic esse poterat de malo culpæ, an possit esse objectum timoris, quæ in materia de spe tractanda est, quia ad voluntatem potius, quam ad sensum spectat.

## SECTIO XI.

*Quid sit ira, et quodnam contrarium habeat.*

1. *Quid sit ira.* — Ira generali ratione est appetitus insurgens adversus eum, qui causa mali est appetenti, vel impedit ne bonum amatum consequatur. Difficultas vero est, quomodo hic actus ab actibus enumeratis distinguere possit : nam insurgere affectum contra alium, nil aliud esse videtur, quam illi malum appetere : hoc autem ad odium videtur pertinere, vel ad desiderium mali. Propter hoc Gabriel et Scotus 3, dist. 14 et 26, non distinguunt hanc passionem a numeratis in modo tendendi, sed in objecto, volunt enim objectum proprium iræ esse vindictam, ipsam vero iram esse desiderium quoddam illius, quod illi late explicant, et fere omnes motus, quos circa bonum et malum versari diximus, ipsi circa vindictam explicant, et illos, ut sic, volunt ad iram pertinere. D. Thomas, vero, supra, quæst. 23, et sæpe in hac materia, vult iram non solum esse

distinctam passionem a cæteris, sed quasi distinctam requirere potentiam a potentia concupiscente, et objectum illius vult esse vim dictam mali arduam, nam si facilis est, non excitat iram.

2. *Prima assertio.*—Dico primo, iram proprie consistere in affectu, quo alteri malum appetimus, hoc videtur constare ex experientia et ex dictis, ut tamen radicatus explicetur, nota variis modis posse accipi malum alterius. Primo per se primo, solum ut malum habeatur, sine ratione ulla boni, et tunc dicunt quidam esse actum odii, quod videtur indicare Cajetanus, q. 46, art. 6. Verum cum velle alteri malum sit prosecutio alterius, nullo modo videtur posse intelligi nisi sub aliqua ratione boni, ut patet ex generali ratione appetitus : et ita docet S. Thomas 1, 2, q. 42, art. 3. Hic ergo modus appetendi alteri malum non videtur mihi verus, sed actus. Secundo igitur contingere potest, ut quis velit malum alteri, quia id apprehendit, ut bonum proprium, quod generali ratione odium dicitur : proprie tamen, ut supra dicebam, est hæc quædam concupiscentia per modum desiderii. Tertio potest quis velle malum alteri solum ut compenset injuriam sibi illatam, quod apprehendit, ut proprium commodum, et hæc proprie censetur ira, quæ ab odio in hoc differt : nam odium per se non supponit malum illatum, ita vero supponit.

3. *Objectio prima.*—Dices primo interdum unum animal contra aliud irascitur absque præcedente malo illato solum propter naturalem antipathiam. Respondetur forte naturali instinctu alterum apprehendit, ut inimicum, atque adeo cum ordine ad malum inferendum, quamvis non videatur posse hoc generaliter dici, ut patet in lupo aggrediente ovem, quare dico illam non esse iram proprie, sed vel odium, vel alium affectum, quem infra explicabimus : sæpe vero communiter ira dici solet omnis motus excitans sanguinem et bilem adversus alterum, cum tamen hoc revera commune sit multis affectibus animæ, et odio.

4. *Objectio secunda.*—Objices secundo : ergo ira non differt ab odio, sed ut plurimum dicitur quædam species ejus. Respondetur adversus eum, qui malum intulit, insurgere posse iram et odium : iram tamen veluti formaliter, nam respicit alterum ut auctorem mali, cui tantum mali appetit, quantum sat est, vel ad compensandum damnum illatum, vel ad pellendum malum, vel aliud simile vitandum : odium vero quamvis occasionem sumat a damno

illato, simpliciter vult malum alteri non comparative, sed absolute, ut notavit S. Thomas 1, 2, q. 46, art. 2, ad 6, ubi ait odium ferre in malum alterius, ut sic : nam dum apprehendo alterum ut mihi malum, quod illi insit malum reputo mihi bonum : odium ergo per se appetit hanc compensationem mali cum persona aversa : ira e converso, per se non attendit malum alterius personæ, sed compensationem et repulsam proprii incommodi.

5. *Tertia objectio.*—Objicies tertio : ergo in appetitu sensitivo non est ira distincta ab odio, quia non potest sensus illos respectus distinguere ; oppositum vero, ut D. Thomas, q. 46, art. 4, ad 3, respondet, certe non est facile in appetitu præcipue bruti hos motus distinguere, neque videtur brutum apprehendere vindictam, nec malum alterius, nisi vel ad vitandum malum proprium, vel ut subveniat proprie necessitati, et hoc ipsum est odium. Unde Aristoteles 6, Ethic., cap. 6, iram ait rationem consequi. Nisi dicamus, quamvis sensus non possit expresse illas rationes distinguere, naturali tamen instinctu ita excitare appetitum, ac si illas apprehenderet, unde potest concipere ut conveniens, malum inferre ei, qui malum intulit, veluti per modum compensationis, quamvis istam rationem formaliter non apprehendat, quod facilius in appetitu hominis intelligitur, quem ille ex directione rationis sæpe movet.

6. *Secunda assertio.*—Ex his vero dico secundo iram non distingui ab aliis motibus, quibus alteri malum appetimus, eo quod in arduis versetur. Patet, tum quia etiam in re non ardua potest esse ira : pater enim ira movetur ad castigandum filium, quod illi non est arduum : tum etiam quia alii effectus, ut odium et abominatio versari possunt in arduis, ut ex dictis patet et experientia, nam ex odio desiderat quis alteri malum maximum et arduum.

7. *Tertia assertio.*—Dico tertio affectum iræ secundum modum tendendi in objectum esse desiderium quoddam, quod ex proprio amore nascitur, unde ad eandem potentiam pertinet, et ab aliis desideriis solum differt in objecto, vel formali, vel materiali. Hoc mihi satis probant, quæ inter explicandum opinionem Scoti diximus, n. 1 et 2, et quæ supra de aliis affectibus dicta sunt, amor enim, et ira inter se comparantur sicut actus circa finem et media, ira enim appetit vindictam, ut medium ad bonum amatum obtinendum ; actus vero circa medium habet rationem desiderii, et in

hoc placet Scoti opinio supra allata : illud vero displicet quod potentiæ irascibili, ut sic, eodem actus tribuit, quod concupiscenti : hoc est, quod inter motus iræ numeret quemdam amorem, timorem, etc., prout isti versantur circa vindictam : cum enim, ut diximus, vindicta solum possit habere rationem medii, non proprie versatur circa eam amor, sed desiderium, juxta dicta supra, sect. 8 et 9. Alii vero actus timoris, vel similes potius dicuntur esse effectus iræ, quam ad illam formaliter pertinere.

8. *Quæstiuncula prima de iræ divisione.*—Ex dictis vero expediri facile possent cætera, quæ de hac passione quæri, vel tractari solent. Primum est distinctio illa tradita a Damasceno, lib. 2, cap. 16, qui tres numerat iræ species. Prima est fel, quam iram subito excandescens vocat. Secunda furor, ira non quiescens donec sumat vindictam. Tertia immanitas, quæ oritur ex tristitia, quas insinuavit Aristoteles, Ethicorum, c. 5, ubi calores et biliosos primo iræ genere moveri, acerbos vero et difficiles secundo genere excitari, quos sibi et aliis dicit esse molestissimos : illos vero qui tertio genere iræ tanguntur, vocat infestos, et ad communicationem hominum omnino ineptissimos : recte autem Cajetanus dixit hæc membra inter se differre solum dispositione subjecti, et eodem modo exponenda est partitio Gregorii, 2 Moral., c. 5, ubi tres gradus iræ numerat.

9. *Secunda quæstiuncula de causis iræ.*—Secundo quæri possunt causæ hujus passionis, de quo D. Thomas, 2, 2, q. 47, et breviter dico, quod efficit, vel auget apprehensionem injuriæ, aut utilitatis vindictæ sumendæ, conferre ad iram, deinde quia ira supponit malum illatum ex quo sequitur tristitia, ideo ira per se consequitur passionem tristitiæ conceptam ob damnum illatum : unde quidquid eam tristitiam fovet causa iræ censetur. Unde D. Thomas, supra, art. 3, dicit pueros et imbecilles facilius irasci, quia sunt procliviores ad tristitiam : quia vero inter homines potissimum malum censetur contemptus, et ideo docet, art. 2, ex Aristotele, 2, Rhetor., capite secundo, hanc esse causam iræ, non quia sit sola, ut ex dictis de objecto iræ, et experientia patet : sed quia est potissima, et ad eam possunt quodammodo cæteræ reduci, ut art. 1 indicat. Ex quo fit, ut quo persona sibi videtur dignior, ita ut alterum existimet viliores, et vehementius irascitur ; fit etiam ut minus irascamur in eos, qui vel ignorantia, vel passione injuriam



inferunt, quia minus arbitramur ab illis contemni; constat etiam ex his quæ sint utilia ad temperandam iram; nempe omnia quæ illius causas abstulerint, et præcipue apprehensionem contemptus, et ideo alterius submissio, et humiliatio maxime lenit iram, Prov. 15, *Responsio mollis frangit iram*, et 2, Ethicorum, cap. 3.

10. *Tertio, de effectibus ejus.* — Tertio peti possunt effectus iræ, de quibus S. Thomas, 1, 2, quæst. 48. Et primo cum ira sit quoddam desiderium plures generat effectus ex his, quos dixi omni concupiscentiæ esse communes: præcipue tamen efficit in corpore motum suo objecto et effectui intento consentaneum, excitat enim sanguinem et spiritus biliosos aptos ad prosecutionem vindictæ, quæ ad cor congregantur, inde ipsum calefit, et fervet cum quadam amaritudine et tristitia, in quo differt hæc alteratio ab illa, quam efficit amor, ut D. Thomas, artic. 2, notavit, et Damascenus, lib. 2, cap. 16, dixit, iram fieri cum quadam fellis evaporatione: deinde quoniam ira in quadam extensione animæ consistit, ideo statim se prodit, ut artic. 3, ad 1, ex Aristotele docuit divus Thomas, et hinc prodeunt verba, gestus et aliæ commotiones, quas optime depingit S. Gregorius, 5, Mor., cap. 35, ex illo psalmo 30: *Conturbatus est in ira oculus meus*, quod etiam ad oculum rationis referri potest, quæ maxime illa passione conturbatur, ut etiam docet D. Thomas.

11. *Quarta quæstiuncula de contrario iræ.* — Quarto quæri potest, an ira habeat contrarium, nam D. Thomas simpliciter negat, et ratio esse potest, quia si aliquid habere posset, maxime patienter ferre illatum malum, aut nolle illud vindicare: hic autem actus non videtur pertinere ad appetitum, quia non fertur in objectum sub ratione aliqua boni sensibilis: ergo. Confirmatur, quia ira supponit malum personæ, quod non potest excitare appetitum ad amorem, sed potius ad tristitiam, et consequenter ad iram. In contrarium est, quia mansuetudo est vera virtus quæ, teste D. Thoma, in irascibili inhæret, et ejus affectum moderatur: ergo necesse est actum mansuetudinis esse ab appetitu elicatum, et iræ contrarium. Confirmatur, nam 1, 2, quæst. 23, affirmat D. Thomas contrarias passiones irascibilis interdum esse accedendo, vel recedendo circa idem objectum arduum, ut in spe et desperatione: ergo idem poterit esse in proposito, cum enim objectum iræ sit vindicta quæ ex sententia D. Thomæ habet rationem ardui, et si ni-

mis ardua judicetur, poterit illum refugere appetitus, per modum iræ contrarium.

12. Hæc posterior sententia videtur satis verisimilis, non enim oportet si aliquis actus est contrarius, illum esse per modum prosecutionis et appetitionis mali præsentis; esse enim posset per modum fugæ et nolitionis vindictæ, sicut in desperatione patet, et hoc modo cadere potest in sensitivam cognitionem objectum actus iræ contrarii, quod erit vindicta, ita ardua et difficilis, ut majus malum existimetur id prosequi, quam injuriam non vindicare. Præterea in appetitu hominis id videtur magis necessarium propter conjunctionem ad rationem et illius directionem, imo ex parte objectorum videtur posse esse contrarietas horum actuum in hoc appetitu: nam si ira est velle malum ei qui malum intulit, amare illi bonum erit actus maxime contrarius iræ, et tamen hunc affectum potest habere etiam in appetitu sensitivo, saltim ut a ratione imperatur. Quare mihi non videtur dubium esse in appetitu sensitivo actum positivum actui iræ contrarium, qui mansuetudo dici potest, neque, ut arbitror, id negaret D. Thomas, cum ponat in hoc appetitu habitum contrarium iræ, qui non acquiritur nisi per actus: cur vero non numeretur hic actus inter spirituales passiones, dicemus sectione sequenti.

## SECTIO XII.

*De sufficientia et comparatione passionum.*

1. *Variant auctores in numero passionum.* — De numero passionum, quæ est prior pars tituli, variæ fuerunt sententiæ. Aristoteles, 2, Ethicorum, cap. 5, numerat duodecim, et plures ad duas præcipue revocat, voluptatem scilicet et dolorem, quæ sententia cum Epicureo ex parte videtur convenire, qui dolore et voluptate omnia metiebatur; et Ambrosius, 1, de Jacob, et Vita beata, omnes passiones dicit ex his duabus oriri. Alii vero omnes, ad quatuor reducunt cupiditatem scilicet, et gaudium circa bonum; metum et tristitiam circa malum. Cicero cum Stoicis, Tusculana 4, Plato etiam, in Timæo, numerat quatuor, sed spem posuit loco cupiditatis. Alii in concupisibili quatuor passiones, et totidem in irascibili numerant: in illa desiderium et voluptatem, a quibus non distinguunt amorem, timorem et tristitiam, et similes ponunt in irascibili. Alii cum D. Thoma numerant undecim, de quibus egit in locis hactenus citatis.

2. *Quadruplex consideratio ad colligendum numerum passionum.* — Advertendum tamen est posse nos distinguere actus hos multipliciter, primo secundum generales rationes, et modos tendendi in objecta: secundo considerando usque ad species ultimas actuum: tertio prout in corpore excitant peculiarem motum et alterationem: quarto ut habent quamdam excellentiam, et propriam considerationem requirunt in corde ad virtutes et operationes humanas. Prima consideratione videtur certe passiones omnes satis commode ad sex revocari, tres circa bonum, amor, desiderium et voluptas: et tres circa malum, odium, timor, seu fuga, dolor seu tristitia: cujus divisionis sufficientia satis colligitur ex dictis supra de actibus voluntatis, et de singulis passionibus: bonum enim et malum triplici ratione referri possunt ad appetitum; vel absolute, vel ut præsentia, vel ut futura, nam, ut præterita non movent nisi aliquo modo referantur ad existentiam præsentem, vel futuram: et ideo tantum sunt tres modi, quibus appetitus versatur circa bonum et circa malum, qui sex dictos actus distinguunt, non ob majorem, vel minorem applicationem objecti, ut Scotus, in 2, distinct. 26, indicavit, hoc enim non sufficeret ad distinctionem essentialem: sed quia modus tendendi in objectum diversus est. Jam vero quod præter hos actus alii necessarii non sint, constat; ostendimus enim hos actus circa objecta ardua versari posse: et omnes alias passiones, quæ numerari solent, desideria quædam esse, vel timores et fugas.

3. Secunda consideratione passiones non sunt tantum undecim, sed ut non possint certo numero comprehendi a nobis: supra vero duas species amoris amicitiae et concupiscentiæ distinximus, et sub his aliæ distinguuntur pro varietate objectorum formalium, similiter genera desideriorum sunt infinita, et idem de aliis.

4. Tertia consideratione undecim passiones convenienti ratione numerantur, de quibus hactenus. Nam termini appetitivi motus duo sunt præcipue, bonum scilicet obtinendum, et malum fugiendum, illud est velut primarius terminus ad quem, hoc ut primus terminus a quo, quibus addi potest tertium membrum, malum scilicet superandum. Ad bonum per se fertur appetitus in prosequendo et appetendo, idque tribus modis dictis, qui essentialiter differunt, et diverso modo corpus alterant, ut supra etiam diximus: circa malum versatur appetitus tantum fugiendo per se tribus modis

contrariis prioribus, qui etiam proprias motiones in corpore efficiunt: circa malum vero vincendum versari potest appetitus aggrediendo et fugiendo: quia vero aggrediendo malum, vel proprium, quod fit per audaciam: vel alterius quod fit *vindicta*, peculiari modo excitatur homo, ideo istæ duæ passiones distinctæ a cæteris numerantur. Spes vero fortasse etiam propriam motionem efficit in corpore si feratur in bonum difficile, quia illud quodammodo est aggredi malum, nam arduitas quodammodo fugit appetitum, et ideo ad spem requiritur peculiaris animi vigor et corporis, et spirituum propria commotio, quæ non solum ad bonum prosequendum, sed ad difficultatem vincendam juvet, et propterea passio diversa numeratur. Hinc etiam duæ aliæ passiones adjunguntur audaciæ et spei contrariæ, motus vero iræ contrarius non numeratur, vel quia non excitat in corpore passionem distinctam ab aliis: vel certe, quia motus cohibens iram, quando non ex timore, vel simili affectione proficiscitur, non est per se primo ab appetitu sensitivo ut sic, sed solum ex motione rationis: propriæ autem passiones dicuntur illæ quæ ab appetitu primario oriuntur.

5. Ex quibus etiam patet divisionem hanc undecim passionum ad methodum etiam doctrinæ, quam quarto loco considerari posse diximus, satis esse accommodatam, quamvis non sit adeo necessaria, cum aliis etiam modis tradi posset: quod fecerunt alii, quos attulimus, qui non contrarias, sed diversas passiones tradiderunt, qui enim passiones omnes ad duas revocarunt, finem et terminum, considerantur et radicem harum passionum, scilicet voluptatem ex Aristotele, de Generatione animalium, cap. 18, et contrarium, scilicet dolorem, vel tristitiam, quibus alii addiderunt duas species, scilicet timorem et amorem, ut præcipuos motus, quibus tendimus ad terminum appetitus, et sic variæ sententiæ possunt conciliari.

6. Divisio vero sancti Thomæ in undecim passiones nobis retinenda est, quia et magis recepta est, et facilius ad explicandam originem et connexionem omnium affectuum: quare aliæ quæ numerari solent, ad has revocandæ sunt, ut excandescencia, quæ est quoddam iræ genus, fiducia, quæ ad spem pertinet, invidia, æmulatio, misericordia, quæ pars est tristitiæ quædam, et verecundia, quæ pars est timoris: quas omnes Aristoteles numerat, et similes sunt aliæ quas distinguit Cicero, in illa Tusculana 4. Alii addunt favorem, qui non est nisi benevolentia. Alii addunt reverentiam,



quæ est pars timoris, cui opponitur contemptus, qui proprie videtur consistere in quadam audacia, et idem de similibus.

7. *Quadruplex comparatio, seu ordinatio passionum.* — In secunda parte tituli hujus sectionis explicandus est ordo ipsarum passionum, quæ conferri possunt primo in origine: secundo ratione causæ: tertio in perfectione, seu vi et efficacia movendi corpus, quarto tandem in oppositione et contrarietate. Quoad originem constat passiones illas, quæ sunt circa bonum ex genere suo esse priores, quam quæ circa malum, quia malum non habetur odio, nisi ob amorem boni contrarii, et omnis motus natura sua magis respicit terminum ad quem, quam a quo: non est autem intelligendum omnes tres passiones, quæ versantur circa bonum, debere præcedere, sed aliquam saltem, nempe amorem, ex quo contingere potest cæteras sequi pro varia objectorum applicatione, nam in hoc nullus est ordo per se simpliciter necessarius, et hoc modo intelligitur quod D. Thomas dixit, passiones concupiscibilis priores esse passionibus irascibilis, et has ad illas referri.

8. De ordine causæ et effectus constat ex dictis, amorem esse causam aliorum affectuum: ex illo enim, si bonum sit absens sequitur desiderium, si apprehendatur malum contrarium, sequitur odium; at si bonum apprehendatur ut excellens et difficile, et amor perseveret, sequitur spes, et sic de aliis, qui omnes comparantur ad amorem et desiderium, sicut electio ad voluntatem et intentionem finis: atque eodem fere modo ex illis sequitur, posita connexionem et apprehensione objectorum: ex quo fit, ut ex quacumque priori passione possit quælibet altera sequi circa objecta distincta: quæ ita sunt ordinata, ut posito amore circa unum excitetur tristitia circa aliud vel ira, et sic de aliis, et hoc modo facile intelligitur quod D. Thomas, 1, 2, q. 25, art. 3, dicit ex desperatione sequi timorem, cum tamen, q. 45, a. 1, dicat timorem parere desperationem, ubi laborat Cajetanus in illis locis conciliandis: fortasse tamen ejusmodi passiones nullum per se et necessarium servant ordinem, et ideo interdum una ex alia sequitur, aliquando e contra: cum enim aliquis desperat se posse fugere aliud quod malum, frequentius illa desperatio generatur ex timore: cum vero desperatio est de bono obtinendo, facile potest generare timorem mali contrarii. Ultimo nota hæc omnia intelligenda esse in genere causæ efficientis, nam in genere causæ finalis voluptas natura

sua est causa contrarium passionum, est enim objectum maxime accommodatum appetitui sensitivo, quamvis non sit simpliciter necessarium, ut alias expositum est.

9. De tertia comparatione in perfectione, nihil certum dici potest, ex genere tamen suo prosecutio boni perfectior est, quam fuga mali, ut D. Thomas indicat, 1, 2, q. 35, art. 6, et patet ex modo et ex objectis talium motuum: inter passiones vero, quæ sunt circa bonum, amor videtur perfectissimus, quia est perfecta unio appetitus cum appetibili, et origo cæterarum, de quo nonnulla dixi supra, sect. 4.

10. In quarta denique comparatione nil est difficultatis, generali enim ratione odium opponitur amori; fuga desiderio, tristitia delectationi; hanc vero contrarietatem non exercent nisi circa idem objectum sub eadem ratione, ut notum est, et docet D. Thomas, 1, 2, quæst. 35, art. 1, et quæstione 41, art. 3. Circa diversa vero objecta, passiones istæ non solum contrariæ non sunt, sed aliquo modo se consequuntur, ita D. Thomas, quæst. 39, art. 4, 5, et q. 35, art. 4. Ex quibus omnibus facile intelligitur passiones, quæ versantur circa bonum, potentiores esse suis contrariis, quia bonum ex suo genere fortius est ad trahendum appetitum, quam malum ad pellendum, quia nullum est tam malum, quod non habeat aliquam rationem boni conjunctam: bonum vero esse potest absque admixtione mali. Item prosecutio boni generat fugam mali: est ergo fortior ex suo genere. Unde omnium est potentissima passio amor, per se loquendo, quamvis per accidens alias contingat esse vehementiores, etiam quod alterationem quam efficiunt in corpore. Aliæ etiam sunt natura sua potentiores ad excitandam iram. Vide D. Thomam 1, 2, q. 25, art. 2, ad 1, et quæst. 29, art. 3, et quæst. 33, art. 3, et quæst. 37, art. 3.

11. *Non omnes passiones appetitus cerni in voluntate putat Cajetanus.* — Ultimo hoc loco de dictis solvitur dubium, quod disputat Cajetanus in fine hujus materiæ, an omnes isti actus, qui in appetitu sensitivo passiones dicuntur, sint etiam in voluntate. Cui Cajetanus negative respondet, et octo actus tribuit voluntati, volitionem, nolitionem, intentionem, electionem, consensum, usum, delectationem et tristitiam. Sed oppositum verius est, nam revera omnes actus supra numerati in appetitu rationali reperiuntur, et non minus distincti, sive illis detur passionis nomen, sive non. Et potius illi actus, quos Cajetanus numerat si proprie loquamur, non omnes distincti sunt,

ut patet ex dictis supra de electione, consensu et usu, et probatur in nostra sententia: certum est enim in voluntate esse amorem et desiderium, quos actus inter se distinctos esse, et a simplici voluntate et intentione finis, non distingui supra ostendi: ubi etiam demonstratum est fruitionem, quæ delectatio quædam est, specialem esse actum a prioribus distinctum, quibus tribus, tres alios contrarios respondere, dubitari non potest, cum oppositorum eadem sit ratio: constat ergo omnes sex actus ad quos omnes appetitus revocari posse dixi, in voluntate reperi. Deinde certum omnino est actum spei et desperationem perfectius reperi in voluntate: ira vero cum desiderio fit, seu appetitus vindictæ ob injuriam illatam, cui rectius, quam voluntati tribui potest? cum et causa, et ratio, et totum denique objectum iræ distinctius ab intellectu, quam a sensu cognoscatur, ut patet: et eadem est ratio de audacia, quæ consistit in firma voluntate comparandi finem, seu bonum intentum, sustinendo aliquid mali periculum, sicut timor negatur a nemine, voluntati: unde non video quam majorem distinctionem habeant hi actus in inferiori appetitu, quam in superiori, cum in utroque conveniant in principio eliciendi, et differant in objectis. Et confirmatur ex sympathia, quam experimur in his actibus inter has duas facultates, concupiscentia enim appetitus, ad simile desiderium excitat, et e contrario, et idem est de aliis, quod ex D. Thoma, in tota hac materia elici potest; magis enim in voluntate, quam in appetitu dictos actus explicat. Videatur 1, 2, quæst. 28, art. 6, ad 1.

12. *Cajetani objectio duplex.* — Objicit Cajetanus primo, quia ea, quæ in inferioribus divisa sunt debent in superioribus esse conjuncta. Secundo, nam desiderare, sperare, amare sunt velle: ergo sub uno actu volitionis continentur. Ad primum respondetur illud principium non esse eodem modo omnibus rebus accommodandum, facultas enim superior ad plura valet, quam inferior, et hoc modo generale est divisa in superioribus esse unita in superiori facultate: non est tamen necesse omnes actus, qui in inferiori potentia sunt distincti, esse unum in superiori: præcipue cum eadem ratio distinctionis in utraque reperiatur: sic ergo non est necesse amorem et desiderium voluntatis esse unum actum, qui in appetitu sunt duo, quamvis amor voluntatis, quia perfectior est, generalior sit, et plura complectatur, quod etiam docet D. Thomas, 2, contra

Gentes, capit. 27 et 28. Ad secundum respondetur illo argumento probari, intentionem, et electionem, et voluntatem simplicem non distingui, quia omnes sunt quoddam velle: quod tamen Cajetanus non admittit: hæc ergo ratio generica est, et plures sub se comprehendit, et sic nulla est consequentia. Unde tandem constat actus illos voluntatis, de quibus in superioribus egimus, non esse ab his, quod illi tribuimus distinctos, sed omnes hos ad illos revocari, ut intuitu supradicta facile constabit.

## DISPUTATIO II.

## DE HABITIBUS REMISSIVE.

Post tractationem de actibus humanis, consequenter dicendum de habitibus, tum quia ad eandem speciem subalternam spectant disputationes et habitus, tum quoniam principia sunt connaturaliter adjuvantia potentias ad ipsos actus, id quod etiam præstant reliqui theologi apud Magistrum in 3, dist. 23, ac late D. Thomas, 1, 2, quæst. 49, et quinque sequentibus. De ipsis vero potentiis nihil ex instituto agunt, quia licet principia actuum sint, ac multo magis necessaria, quam habitus, nihil tamen speciale de eis occurrit in theologia disputandum. Sed quoniam universa de habitibus doctrina copiose traditur in 44 disputatione Metaphysica, non fuit hoc in loco repetenda: præsertim quia facillimum theologo erit totam doctrinam huc accommodare pro exponenda, natura, causis, augmento, minutione distinctioneque habituum. Ex hac ipsa tamen doctrina de habituum distinctione, seu multiplicitate divisione illa erit hoc loco, (quia theologica est) peculiariter tractanda, qua dividitur habitus in bonum et malum, seu in virtutem et vitium: duplex ergo erit disputatio, una de studioso habitu, altera de vitioso.

## DISPUTATIO III.

## DE VIRTUTIBUS IN GENERE.

Ex iis quæ de habitibus tradidimus in Metaphysica, nonnullæ habituum partitiones habentur, præcipua tamen divisio, quæ etiam a D. Thoma 1, 2, quæst. 54, art. 3, sola traditur, quia ad materiam moralem maxime spectat, est in habitum bonum et malum, de qua nobis præcipue dicendum est. Primo quidem de habitibus bonis, et postea de malis, atque adeo de eorum comparatione et divisione; hic